m

, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Festo Epiph.

com. Sequ.

com. sequ.

festo

com.

27 Sabb.

[illegible]

10 | 15 C. | 15 –
10
50
50

Angefangen
und nicht fort-
gesetzet

HOROSCOPUS
LAVREATÆ GLORIÆ,
Natis ad Literas, Laureasq; mentibus
XIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum,
Signis Laudum allucens:
ac dum
Post rigidum examen in publicâ Orbis Academici facie
PER
CLARISSIMVM, ac EXCELLENTISSIMVM
D. M. JOSEPHUM CANTIUM SWIRADOWSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, & Professorem, Collegam Minorem;
Præsente Illustri Magnorum Hospitum Coronâ,
RITU CONSVETO,
Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei
declararentur.
In vim gratulatorij plausûs
Operâ
JOANNIS JACOBI
SMOŁUKOWSKI Crac:
Ejusdem Laureæ Candidati
ERECTUS.
Annô Astrorum Conditoris à summo Cælo descendentis
1722. Die 31. Octobris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma
INCLYTÆ URBIS METROPOLITANÆ CRAC:



Urbis ad Auguſtas Conſiſtit gloria Turres,
Gloria Turrigero vult Comes eſſe loco.
Eſt Aquilæ Cultus, portant hanc ſtemmate Reges;
Quæ decorat Reges, huc tulit illa decus.
Indè venit Turri, Conſurgit ſplendor in Urbe,
Quâ Volucris Regum nidificare cupit.

NOBILISSIMIS,
CLARISSIMIS,
SPECTABILIBVS,
AC
CONSVLTISSIMIS
DOMINIS.

D. PROCONSVLI.
DD. CONSVLIBVS,

Totiq; Urbi Metropolitanæ
CRACOVIÆ,

Dominis Patronis Amplissimis.

AD *liberæ gentis liberæ* Metropolis TVRRES *Clientalis promptitudo vincula invenit, ac vinculis prætendit captivari.* NOBILES CLARISSIMI & SPECTABILES DOMINI, DOMINI PATRONI COLENDISSIMI. *Non etenim hæc Invictissimorum Poloniæ Regum mens ac studium fuit, stemmatico Vestrûm decori trinas addere turres; ut in illis no-*

xæ vincirentur: sed ut Virtus haberet in illis receptaculum. Si gratum approbatis pectus? si apud vos gratitudinem Virtutem elicere congruit? aditum illi ad Turres Vestras patefacite. Quanquàm & apertò illæ ostiò stant, nec ullis horridæ repagulis, potiùs invitant quosvis, quàm deterrent. Non servitus hîc, ast libertas: non compedes, ast gratiarum nexus apparent. Tot hîc Captivi non gemunt, sed plaudunt; quot existunt Virtuti Vestræ obligati. Siquidem intra Muros Urbis Turres estis, etiam sine Muris Aheneus quisq; VESTRVM Murus, *nullo impetu superandus. Immines primò Clientis obtutui* NOBILIS ac SPECTABILIS DOMINE IOANNES PAVLE FRYSNEKIER, S. R. M. Secretarie, *cujus consiliô, ac virtute à multis annis directa Urbs, inter motus tranquillitatem, & inter totius Regni naufragia salutem, adinvenit. Ætatem Tuam non tam Annorum longitudo, quàm publici boni sollicitudo fessam reddidit. A Te Viro in Senatu gravissimo non nisi consilium ponderosum, & sententia diu meditabundo Catone observanda. Qualis quantusq; sis, Te singuli judicant, quibus judiciô Tuô vel consiliô regi contigit aliquando. De omnibus certè bene merite, sed de Academica Themide optimè, imò meritissime. Rem non innuo quæ legetur, & Tu justè memoriam Tui inter eruditos codices asservabis. Nec de vestris meritis aliter convenit sentire magna Senatûs nomina.* NOBILIS CLARISSIME ac SPECTABILIS DOMINE M. STANISLAE ŁOPACKI, *quem cùm laureæ decorant, paria his commendant & merita.* DOMINE DOMINICE MEGLIORVCI, *cui cum generis claritate factorum splendor famulatur.* DOMINE PAVLE SOLDADINI, *cui prodesse bono publico innata Virtus, & rarâ eruditione singulis allaborare Divinum munus.* DOMINE ANDREA SZAFAŁKOWICZ, *eruditionis Oraculum, consiliorum regula, imò singularum laudum Pantheon.* DOMINE IOSEPHE BEHM

in

in hac Metropoli *antiquitate generis, ejusq; ergà Vrbem studijs, tam quietis, motuumq; tempore, notissime.* DOMINE IOANNES GAŁECZKA *cujus dum Virtus & fortuna appretiatur, ab utroq; æstimande.* DOMINE LAZAR DERIAKVBOWICZ *Senatûs gloria.* DOMINE STANISLAE WEGRZYNOWICZ Gentilitiô *Leone demonstras Te pro* VRBIS *commodo imperterritum semper vigilare, & Avitis stellis prodromum ad felicitatem* VRBI *existere.* DOMINE STANISLAE SZYMANKIEWICZ *vel ipso nomine stans in Metropoli laus, gloriaq; gentis indicaris.* DOMINE THOMA MARCINKOWSKI *cujus & mentis & capitis candor cuiq; Te efficit placidum.* DOMINE IOSEPHE ZALESKI *magnorum nominum confinio, Majorumq;, Tuisq; meritis insignis.* DOMINE HYACINTHE ZAYFERT *cujus erudita facundia & fæcunda eruditio, dum pro* VRBIS *commodo perorant, novas efflorescere* VRBIS *felicitates præsagit portenditq;.* D. LVDOVICE GVILCHELME *& Nativis Lilijs, & Tuo candore in Campestris Poloniæ Metropoli floride.* CLARISSIME DOMINE CASIMIRE TVATER, *cui præter peritiam servandorum hominum, plurimas dotes sua ingessit capacitas. Quem & verborum elegantia, & factorum Majestas, ita commendat; ut meritò submissis fascibus* VRBIS *adoreris.* DOMINE IOANNES GEORGI KARLI, *è cujus nomine non una gratia dimanat.* DOMINE FRANCISCE TORIANI, *sollicitudine circa Regiæ* VRBIS *elegantiam commendate.* CLARISSIME D.M. IGNATI MICHAŁOWSKI Medicinæ Doctor, *cui dum plurima deberent necti elogia, una sufficiat adoratio.* DOMINE MICHAEL AWEDYK, *pridem in Senatum adsciri meritissime, in Divos pie, hominibus placide, utrisq; à corde. Cætera estis Senatus Nomina* DOMINE SEBASTIANE MAMCZYNSKI, DOMINE LAVRENTI LASKIEWICZ, DOMINE ALBERTE FISCHER, *sed non postrema; singuli* VESTRVM

me-

meremini laudari: qui meritis commendamini. Invinculari TVRRIBVS VESTRIS *Clientalis cupit promptitudo, imô captivam se esse desiderat, dum Tantos* PRÆSIDES *prona veneratur. Admittetis igitur ligatum hoc opus in gratiam primi honoris Academici, primæq; laurûs conscriptum; & cum illo me* VOBIS *obligatum. Aperta janua apud vos, cui placet, licet ingredi: in libero itaq; aditu Pòësim* VOBIS *obsequentem advertite; quam Vestro* NOMINI & HONORI *dicatam, cum debitô venerationis cultu profert.*

Nobilium Clarissimarum ac Spectabilium Dominationum Vestrarum.

Servus & Cliens.

JOANNES JACOBUS
SMOŁUKOWSKI,
Primæ Laureæ Canditatus Crac.

ODE VOTIVA
D. JOANNI CANTIO,

In Alma Universitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ DOCTORI, ejusdem Universitatis totiusq; Regni Poloniæ Tutelari.

CUM LEMMATE.

Celso genitiq; accedimus Astro. *Manil.*

FErre sub celsos humilem Penates
Discit hic mentem, studet esse gratus
Numini, quisquis cupit ire claræ
Tramite famæ.
Fronte demissâ quatit ille terram;
Ut polus spectans referat petenti
Summa donorum, jubeatq; faustam
Tollere sortem.
Nascitur doctæ studiosa proles
Palladis sperans nitidam corymbum;
Sed spei fructum sine Te ferente
Carpere nollet.
Dive, quô Cælum veniente lætis
Gestijt plectris, ideò triumphans,
Quòd decus Tecum tuleris togatæ
Gentis ad Astra.
Flecte Te summis precibus gravatum,
Annuens voto Pater Alme nostro
De super nobis benedic, acumen
Vincere posse.

Cuncta, quæ vivunt inimica menti,
Quæ rigent fato temerante lauros
Hoste, sic cæso Tibi grata quisquè
Munera reddet.
Sidus es toto radians Polono
Orbe, producens placidum nitorem
Solis ad cunas, reditumq; noctis,
Te Pater unus,
Non locus stringit, patet usq; Thulen
Gloriæ Campus meritis paratus ;
Roma Te novit, tenuit faventer
Patria Christi.
Erigas, vires nimiùm cadentes ,
Qui decus ducis fragiles juvare ;
Redde nos lauris gremiòq; dignos
Palladis Almæ.
Faustitas turbæ veniat novellæ ;
Quæ suum noscit validum Patronum:
Te poli præstans , Academiæq;
Gloria nostræ.
Lacteam quondam Thetidem creasti,
Tinge nunc lauros viridi colore,
Fronte sic cinctâ Tibi quisq; promptum
Solvet honorem.
Ad Tuos current Cineres beatos,
Pectoris fundent specimen Clientes
DOCTOR; ut mentes speculeris uno
Fædere vinctas.

Perillustribus Clarissimis & Excellentissimis

DD. EXAMINATORIBUS.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. STANISLAO KUTLINOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Collegæ Minori, Contubernij Jagelloniani Seniori, ac interea Philosophicæ Facultatis

DECANO.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. MATTHIÆ STANISLAO FEDEROWICZ,

Collegæ Majori, Regio & Cursûs Vladislaviani Professori, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ Crac: SHOLASTICO, Parochialis in Ianina

CURATO.

Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. JOSEPHO CANTIO SWIRADOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Collegæ Minori.

CUM LEMMATE.

Quam non parca manus. *Martialis.*

LAurus sacrato culmine pullulans,
In frontis hujus cernitur arduo;
Quam signa commendant laborum,
Fervidiorq; decorat Ardor.
Non palma segnes, non fragiles honor
Ambit; sed acres insequitur Viros:
Hi laude tolluntur probâ
Herculeos vegetavit ausus.

Quòd digna nostrum tempora laureis,
Vos censuistis judiciô probæ
Mentis, benignè comparatum
Id, Studiô potiore vestri.
Succisa laurus frontibus imminet,
Apexq; famæ panditur optimæ;
Sed culmen hoc summum Minervæ,
E manibus Procerum videmus.
Hinc laudis altum flectere congruit,
O magna vobis Nomina Palladis!
Vocare Musarum cohortem;
Vt numeris referant sonoris.
Vestros labores, & studia, & modos,
Quos consecratis, ut celeberrima
Nos serta cingat; mensq; laurûs
Illicò se tribuat capacem.
Quamvis & arcum Cynthius aureum
Immutet; aptè dulcisonæ lyræ:
Mox imparem se noscet istis
Pro meritis, resonare plausum.
Te dico doctæ Dux & apex stoæ,
Et jam fatisco laudibus in Tuis:
Iam vincis omnem KVTLINOWSKI
Mnemosynon studij profundi.
Murex lacertis adveniens Tuis,
Gaudet foveri, purpureo placet
Te nosse solertem decori
Mentibus, imperiumq; dantem.
Tu docta pulchro prælia fœdere
Concludis; ut sint omnia prosperæ
Victoriæ, clari triumphi
Te duce condecorent Lycæa.
Astræa Cælis lapsa nitentibus,
Cùm lege terras stringere cogitat;
Ad Te bilancem justa defert,
Consilijs fruitura rectis.

Inflectit omnis culmina dignitas,
Et Te potiri vult honor amplior;
Nam summa quævis temperare,
Ingenio potes erudito.
Est & faventi laus sua pectori,
Gratesq; debent poplite flexili
Testata compensare dona;
Sic puteos sua vitta cingit.
Pro flore carmen FEDEROWICZ habet,
Heroa cujus dextera gratiæ,
Ad magna nos ducit secundè;
Et teneras juvat ille mentes.
Oris facundi (dicere Tullium
Malim) perorat floridius rosis,
His comitas morum politos
Attribuit studijs colores.
Nè stare doctâ se videat stoâ,
Cursu bienni pandit Olympia;
Queis tyro formans sic agones,
Plausibus ingeminat triumphum.
Tandem cothurno prosequitur suo,
Te Musa pulchræ palladium scholæ
SWIRADOWSKI prompto valentem
Consiliô, similiq; facto.
Pandora non sic munere Numinum
Exculta mansit Palladis ut Tibi
Concessa Virtus; ut celebrem
Te gravitas studuit referre.
Quàm parva magnos laus fluit ad Viros;
Qui magna nostris præmia frontibus
Sudante connectunt labore:
Nos nimiàm tribuente faustos.
Sed quos Clientes absq; levamine
Laudum remittunt Numinis hos favor,
Per summa longævos honoris
Provehat, ac faciat secundos.

HOROSCOPUS
LAUREATÆ GLORIÆ,
Natis ad Literas, Laureasq; mentibus; signis laudum allucens.

II. V. D. CANTIO SOWINSKI Crac.
Allucet primum Zodiaci signum Aries.

CUM LEMMATE.

Roseo producet fertile cornu
Ver Aries. *Claudianus.*

NAscimur in doctæ primùm nunc Palladis Orbe,
Altior & nostras constringit laurea cunas.
An faveant cæli natis inquirere tento,
Singula Zodiaci votis cùm signa pererro;
Fulgidus en Aries: qui primò cornibus axes
Pulsat; ut assiduô cieantur sidera motu.
In Tua SOWINSKI velox encomia surgit;
Cùm vernes nitidis virtutum floribus, atq;
Egregijs clarus spatieris Tullius hortis.
Ille Tibi famam promittit vere virentem,
Ille novis semper præsagit honoribus altum;
Te per Palladios dextrè decurrere visum
Calles: nàm sidus novit, quem laurea justè
Stringit: quos æquè docti comitantur honores.
Vive igitur cujus mentis sunt sidera testes;
Et qui teste polo, doctos consurgis in ausus;
Colchica fortunæ speres Tu vellera; quando
Est aries signum, prosper, quòd sortis iniquæ
Viribus ingenij, quævis mox damna retundes.

III. V. D. JOSEPHUS SIWERTT,
Allucet alterum Zodiaci signum.

CUM LEMMATE.

Tau;

Tauro solabere palmam. *Silius.*

VIrtutis niveam laurea præmiat
Formam, laurus amat frontibus ingeri;
Quas doctæ studium condecorat stoæ.
Te SIWERTT alibi sollicitus labor,
Pressit; sed mentis palma venustior,
Et laurus capiti panditur hîc Tuo.
Illam quòd nitidis dotibus ingenî
Exornare velis; Palladis inclita
Spes est: nam Patruum dum recolit Tuum,
Post laurum meritis vivere maximum
Sperat, Te simili crescere gloriâ.
Sed qui Te studijs das Sapientiæ,
Ac promptus rigidum sponte subis jugum.
Taurum Zodiaci siderei decus
Attollens oculos suspice, pro Tuæ
Laudis notitiâ spargere lumina.
Sic dum pigritiam vividus executis,
Commendas humeros; ut Sapiens honor
Illis se tribuens, Te celebrem ferat:
Te dicat validis esse parem viris.

IV. V. D. THOMÆ WODZIANKIEWICZ,
Allucent Gemini.

Cùm Lemmate.

Gemini dant ferre triumphos.

ARboribus sacris nutans Parnassia sylva,
Florida serta dabit;
Vt WODZIANKIEWICZ habeat, quô cingere possit
Tempora docta sui.
Ordine ter pulchro variant sua Carmina Musæ,
Plausibus atquè sonant;
Hos plausus multæ dotes, & compta merentur
Indolis acta bonæ.

Accinit, & meritò plectris festinus Apollo,
Æthera laude petens;
Quippè manent lætæ toties in rupe sorores,
Se quoties tribuit.
Laurea docta bonis; quoties hic poscit honorem,
Quem vocat ipse decor;
Iam Gemini geminat præconia, multaq; Cælô
Mittere fausta volunt.
Tu modò, qui placidis efformas verba cothurnis,
Tempora longa vide:
Indomitas mulce Parcas; ut stamina vitæ
Longiùs ire velint.

V. V.D. JOANNI DOBRZANSKI, Allucet Cancer.

Cùm Lemmate.

Lux altissima Cancro est.

ACcende Cælum lucida sidera,
Lumenq; præbe Zodiaco levi,
Illustret ignitus triones
Splendor equis agitatus illis;
Quos Phæbus aptô dirigit impetu,
Et quos agendo non titubat metu:
Ne devient tractu Polorum,
Imperioq; negent subesse.
Dispersit omni pegmate siderum
Sol lumen almum, jam medium poli;
Quo Cancer errans grandis ardet:
Iam renitent sacra tecta luce.
Felix Tuis se dat manibus viror
Laurùs DOBRZANSKI, quem nitor ampliat
Tàm de Tuo ductus sereno;
Quàm rubeo datus ipse Cancro.

Hinc

Hinc verba suadæ tingere qui rosis
Noscis, feraris dulcisonis tubis,
Notusq; fias ob probatum
Ingenium, varium per orbem.

VI. V.D. PAULO GORCZYCKI,
Allucet Leo.

Cum Lemmate.

Cæli refulget parte non minima Leo *Seneca.*

RESplendet multis latè tunc ignibus æther,
Stellarumq; decus Cælestis jactitat axis;
Cùm dignum geritur Cælo, cùm fortibûs actis
Implentur fasti, doctam dum laurea frontem
Cingit, & egregios alti gradus ambit honoris.
En vix GORCZYCKI doctam conscendis arenam,
Vix palmam laudum pulchro certamine prendis,
Conspicis in Cælo pro Te certare Leonem.
Eloquiô promptus dum persvadere laboras,
Floridus in verbis, sensu clarusq; videri,
Res animo cunctas proponens discis amorem
Artis: quâ major mortali pectore vix est.
Haud alios tantæ dotes decorare paratæ,
In Te quæ firmo cernuntur stamine vinctæ.
Hinc Leo, qui medijs recubat prolixus in astris
Sidereos tollens crines applausibus implet;
Quæ loca magnanimo cernis subjecta Leoni
Tam magno plausu cuncti sua serta prehendent,
Si paribus factis cælos, si sidera flectent.

VII. V.D. ANDREÆ SIEMINSKI,
Septimum Cælestis Zodiaci allucet signum Virgo.

Cum Lemmate.

Casta placent superis. *Tibullus.*

Pal.

PAllas fulminei quondam pia Nata Tonantis,
Nonnisi se puris donat amare procis
Si mores læsos tulerit, quæ Pallada tentat
Turba, statim demens ægide cæsa jacet.
Este procul crudi, suaves sunt Pallade digni,
Artibus excultos hæc studiosa vocat.
Ast medios inter censeri corde Minervæ,
SIEMIENSKI, dignos vade tenere locum?
Quis meliûs tanto factus pro Numine certat?
Aût qui Te curat charior esse Deæ;
Pectore captivo Musis facundia regnat:
Nec nisi jucundo Tu cupis ore loqui.
Cùm verò doctam dextrè conscendis arenam,
Demonstras quosvis vincere posse sophos.
Belligeræ doctæq; simul Tu Virginis arma
Arripis, hinc victor sola trophæa legis.
Laurus erit signum, quâ nunc Tua tempora cingis;
Non segnem doctis Te jacuisse scholis.
Te credent cuncti lauris sub Virgine natum,
Nam Musas, suadam, stringis amore gravi.

VIII. V.D. STANISLAO DZWASZOWSKI, Allucet Libra.

Cùm Lemmate.

Lanx tribuit cuiq; suum.

IUsta mercedis tenet ille dona,
Quem labor durus probat, & retorquens
Arduos robur scopulos perîcli
Grande minantis.
Hinc Tuæ laudi meritò probantem
Addo cum plausu Tua facta lancem;
Quam polô cernis renitente pandi
Clariùs almo.

Nam

Nam priùs gestis animosus, inde
Palladis poscis geniô foveri,
Appetis laurum pretiô paratam
Ingeniosô.
Credo Te pulchram renuisse velle
Lauream; si Te studio probatum,
Ad decus tantum minimè videres
Atq; peritum.
Ergo cùm se lanx oculis remonstrat,
Hâc diu firmam moderare vitam,
Doctæ DZWASZOWSKI malefida semper
Culmina spernens.

IX. V.D. CANTIO MIKOWSKI, Allucet Scorpius.

Cùm Lemmate.

Optima non metuunt casum.

INtentos studijs non feriunt mala;
Nam fulmen subitum cadere lauream
Horret; sed platanis & levibus rubis,
Casus, ac rabiem parat.
Hinc dum Tu recipis laurigerum decus,
MIKOWSKI, solitam fata licentiam
Exercere supra Te renuunt vaga,
Et contingere Te timent.
Apparens medio scorpius è polo,
Quamvis contra alios spargere toxicum,
Cernatur; Tibi se monstrat amabile
Omen; concilians bona.
Dicentem fluidè Tullius excitat,
Vt flores nitidos ore Tuo legant,
Qui pulchro cupiunt eloquio suas
Aures flectere subditas.

Quare qui rabidum transiliolitas malum,
Virtutis placitô Te melior trahat,
Per summum valida sortis alacritas,
Et sit concomitans honor.

X. V. D. SEBASTIANO PAWLIKOWSKI, Allucet Arcitenens.

Cùm Lemmate.

Hic jaculo bonus. *Virgil.*

NOn soli galeam Marti nec tela nec arcum
Sorte fuisse data.
Novit, qui doctæ dexterrima castra secutus
Palladis, atq; modos.
Tu PAWLIKOWSKI dices cûi sidera Cælo,
Bellica signa ferunt.
An non Palladiæ dextræ sint dona sagittæ
Arcus & infragilis?
Nam cùm Te munus doctorum laurea stringit,
Lucet & Arcitenens.
Istis es clarus, subtili sed tamen extas,
Clarior eloquio.
Te certare parem cernunt Musæa Sophorum,
Carpere nemo fugam.
Tam pulchrîs audax celebraris ubiq; triumphîs,
Nomine digne Sophi.
Digne, ut maturo semper sis cultus honore
Militet ipse tibi.
Non etenim frustra Tibi tela sagittifer offert,
Vincere quàm valida.

XI. V.D. JOSEPHO GORSKI, Undecimum Zodiaci signum allucet.

Cum Lemmate.

Caper Omnibus Aris cæditur. *Virg.*

Nu-

NUmina quot coluit quondam malefida vetustas,
Illa modis varijs studuit placare, Cruorem
Nunc fudit Tauris, pavidos nunc cædere cervos
Ausa, nemus densum fulvo spoliare leone:
Nec tamen hoc superis totum pro munere defert,
Sed varias varijs donis perfuderat Aras.
Tu melius donum censes conferre Minervæ,
Quodq; alijs etiam sacrandum serviet aris.
Est caput ornatum lauris, hoc Pallade dignum
Das GORSKI, donasq; Deæ nervosa scienti,
Sed si Te celebris linguâ Cyllenius ad se
Alliciet, proprium tandem vel Musa vocabit:
Ibis & ad nutum cunctorum facta parabis.
Hinc meritò Cæleste Caper Tibi militat omen,
Qui cunctis pariter festivus cæditur Aris.
Nam cùm Te formes concludere bella sophorum
Dextrè, nec unquam doctô secedere Campô
Donec eris victor, tum præstans artibus esse
Ingenuis tentes; credo quòd lumine tanto,
Laurea nexa Tibi per tempora multa virebit.

XII. V.D. LAURENTIO SOLTYSIEWICZ, Allucet Aquarius.

Cum Lemmate.

Clarior ab undis.

QVàm sæpè rebus dictio congruit,
Et nominum vis: non malè Lucios,
Crassosq; dixerunt Latini:
Nominibus proba facta dantes.
Non Cæsar esset si gladio ferum,
Non semper hostis cæderet impetum;
Sic magna curant esse, quorum
Nomina laude referta cerno.

Te

Te SOŁTYSIEWICZ laurea debuit
Festiva, frontem cingere candidam
LAVRENTII; nam nomen actis
Attribuis niveis sacratum.
Iam docta spectant ingenio sophum
Te signa, Pallas quæ sibi convocat,
Sentire de Te non sinistrè;
Palladiana cohors tenetur.
Allucet istis Amphora laudibus;
Vt Tu virentem detineas diu
Laurum, vigor pulchro decore
Frondiferam poliat coronam.

XIII. V.D. MICHAELI KROCZEWSKI, Allucent Pisces.

Cùm Lemmate.

Celsis celebratur piscibus iste. *Ausonius.*

NOn ferax auri, recubansq; gemmis
Liber est Cræsus, sequitur potentem
Servitus tristis, Sapientis are
Vincula franges.
Vt means ponto fluviovè piscis,
Quo velit cursu subitò recurrit;
Sic pari semper ratione doctus
Non laqueatur.
Quàm bonum Musis reputas dicare,
KROCZEVI mentem meriture palmas,
Quòd manum jungens sociæ Minervæ
Cuncta triumphas.
Tullio lingvam tribuens diserto,
Atq; certamen dirimens sophorum,
Dignus appares poliente frontis
Tempora lauro.

Hinc decus certò Tibi pollicetur
Piscium Cæli genus ominosum,
Per novas semper fluitatibus undas
Tutus honoris.

I. V. D. JOANNI JACOBO SMOŁUKOWSKI Crac:
Ejusdem Laureæ Candidato.
Authori Operis.
V. D. CANTIUS SOWINSKI,
In Vim Mutui Affectûs & gratulatorij applausus confert.

Zodiacum duodecim signis illustrem.

CUM LEMMATE.

Omnibus Unus.

O Mine quàm fausto Cælestia signa remonstras
Vates, & nostris laudibus ire paras.
Singula Tu nobis donas, en cuncta refundo
Optans Zodiacum, muneris esse Tui.
Et dignus totô, qui scit disjungere partes;
Aptè qui novit, quem sua sorsq; decet.
Zodiacum svevit comptus percurrere Phæbus;
Vt lucem signis præbeat ille suis.
Dum nostras laudes Cæli de cardine sumis,
Mentis opus pulchrâ, non sine luce vides.
Turribus è Parrijs ingens Tibi gloria surgit,
Nam celsum famæ prospicis inde polum.

Ingenium roseis pingis dum moribus, æquè
Te possum doctum, quàm celebrare bonum.
Accedit tantis prudens facundia gestis,
Solvere quàm strictum moxq; ligare vales.
Dotibus his felix mentis hanc sume coronam,
Quâ Pallas pridem tempora docta beat.
Zodiacum tandem retine in mercede laborum;
Vt decoret dotes cingulus iste Tuas.



Permissu Magnifici Domini RECTORIS.





Lect. 1. Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maij*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maij.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. 25. Maij.) ... CA. Vesp. à Cap. ...

SS. Mart